

Paul Schütte Christoph Lange

## **Disputatio Ethica De Summo Bono Civili**

Rostochii: Reusnerus, 1634

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729458962>**

Druck Freier  Zugang



*RU phil 1634*  
*Sagi Marius*

1808.

*Quod Deus T.O.M. bene vertat*  
DISPUTATIO ETHICA  
*De*

SUMMO BONO CIVILI,

*Quam*  
Permissu Amplissimi senatus Philosophici  
in alma Rhodopolitana

SUB PRÆSIDIO

*Clarissimi Doct. ssimiq. Viri*

Dn. M. PAULI SAGITTARIJ,

*Placida disquisitioni subijcit*

CHRISTOPHORUS Lange, Numburgo-Misnicus,

*Habebitur disputatio die 31 Decembr. horis à 7. matutinis.*

---

Rostochij, Prælo Reusneciano, Anno 1634.

VIRIS

*Amplissimo, Clarissimo, Excellentissimo, Experientissimo,  
Doctissimo,*

Dn. BERNHARDO Behr / J. U. D. & Con-  
suli Numburgensium meritissimo, ac prudentissimo.  
Dn. PETRO Krausen / Medicinæ Doctori, &  
Physico Numburgen, celeberrimo, & eximio,  
Dn. HIERONIMO Lothen / Hæreditario  
in Grossen Jehna

*Dn. Assinibus, Patronis & Fautoribus omni  
observantia cultu prosequendis*

Hoc Ethicum exercitium.


Offert & dedicat

Christophorus Lange / Author & Respondens.



1930. RM 37

CUM DEO,  
De  
SUMMO BONO.  
Thesis I.



Utrum verum sit, quod verissimè Maximus Scaliger exercit. 216. sect. 1. inquit: Nihil beatius quam scire, nihil verè felicitati propius, quam discere; nihil divinius, quam docere, ut & nos sciamus quam egregium & præstans bonum sit felicitas, sique ejusdem quodammodo compotes siamus, præsentem *οὐρανὸν* instituire placuit, qua summè illius boni natura per accuratam curam inquiratur & cognoscatur.

II. Quo vero melius percipiatur considerabimus 1. *ὑποθετικῶς* & essentialiter 2. *ὑποθετικῶς*.

III. *ὑποθετικῶς* seu naturam summi boni quod spectat exponit eam Aristoteles 1. *ἀ posteriori* 2. *ἀ priori*. *Α priori* quatenus essentialitatem ejus perspicua & perfecta definitione exhibet. *Α posteriori*, quatenus notas essentialia & proprietates summi boni declarat.

IV. Sequemur ejus methodum & tractationem, cui præmittimus quæstionem, an detur ultimus aliquis finis seu summum bonum? quæ dubia & incerta est *non quidem ob boni inopiam*, quam si quis assertionem suam in rerum naturam introducere ausus fuerit, illum ad creationis historiam ablegamus, ubi perennis fons & scaturigo bonitatis longè lateq; fluens digito ipsi demonstrabitur; *sed potius ob copiam boni*, qua fit ut distincta sæpe bona con-

fundantur nec quodnam certo vitæ generi proprium, ejusq; ultimum bonum sit, cognosci possit.

V. Idem ne & nobis eveniat bonum in aliquas distribuamus classes, Est autem bonum vel *Theologicum* vel *Philosophicum*, Bonum *Theologicum* est ipse DEUS Luca 8, ubi dicitur nemo bonus nisi solus Deus. Bonum *Philosophicum* est triplex: *Transcendentale, naturale & morale*, Bonum *transcendentale* est convenientia Entis, qua Ens, cum voluntate divina à qua producitur & cum appetitu aliorum entium à quibus appetitur *B. Meisn. dissert. de Sum Bon c. 1. q. 2. §. 5.* Bonum *naturale* est convenientia corporum naturalium cum ipsorum specie & fine particulari, ad quem à Deo creata sunt. Tum enim ita se habet prout species ista requirit, cum nec deest aliquid, nec abundat, *cui bono opponitur monstrum. Meisn. cit. loc.*

VI. Nobis hoc loco sermo non est de *spirituali*, hoc enim *Theologiæ* cancellis continetur, *Christian. Matth. exerc. Eth. 2. disp. 4. nec de transcendentali*, quod *Metaphysicæ*, nec de *naturali* quod *Physicæ*, sed de *moralis seu civili bono*, quod *Ethices* continetur terminis, *Christ. Matth. d. 1* idq; in natura dari sequentibus rationum fulcris stabilitum damus.

VII. Si datur finis, dabitur quoq; ultimus finis; sed datur finis E. datur quoq; ultimus. Consequentia non indiget probatione. Nam si non ultimus aliquis esset finis statuendus, concedendus ibidem esset progressus in infinitum *Arist. lib. 1. Eth. c. 2.* sed ab hoc natura abhorret, imo impossibilis est, præsertim etiam cum infiniti nulla cognitio sit, secundum *Arist. lib. 2. Metaph. tex. 2. & tex. 35. lib. 1. phys.* ac proinde nullum desiderium secundum vulgatum dictum: *Quod latet ignotum est, ignoti nulla cupido.*

VIII. *Objiciunt* hic nobis quidam: Non repugnat dari progressum in infinitum in finibus E. non necesse est dari aliquem ultimum finem. Antecedens probant (1.) quia avarus, qui finem statuit in divitijs nunquam ijs satiatur; sed alias atq; alias in infinitum desiderat; juxta illud Solonis apud *Aristotel. lib. 1. Polit. c. 5.*

*Finis opum positus non est mortalibus ullus.*

Igitur non datur in rebus appetendis terminus, in quo appetitus noster

nofter confistit. (2.) In numeris datur subordinatio essentialis, cum in ijs inveniatur per se ordo prioris & posterioris, nam ternarius sequitur per se binarium, & ternarium quaternarius, sicq; in infinitum. E. non repugnat in finibus etiam subordinatis infinitudinem dari.

IX. Sed respondemus ad primam rationem (1) cum *Conimbricenses* concedendum esse, quod eo probatur: videlicet in causis efficientibus non essentialiter subordinatis, id est quæ ita se habent, ut actualis motio unius ab actuali motione alterius non dependeat, haud incommodum esse dari progressum in infinitum. Ex quo tamen non sequitur illam appetitionem infinitam non tendere in S. Bonum, quatenus bona particularia, in quæ fertur, sunt participationes summi boni. (2.) Duo esse divitiarum genera nimirum alterum, quod ex terra & pecoribus paratur, alterum ex commercijs & rerum permutationibus: quorum hoc quidem infinitum esse docetur, c. 7. *Polit. lib. 1.* Sed illud esse finitum docetur, *lib. 1. c. 6.* hac ratione quia artis domesticæ sit organum, h. m. Nulla artium organa sunt infinita sive magnitudine sive multitudine. At divitiæ veræ artis domesticæ organum E. res familiaris seu veræ divitiæ non sunt infinitæ vid. *Giphani, sup. h. loc.*

X. Ad secundam rationem respondemus; numeros non crescere in infinitum, nisi procedendo à minoribus ad majores, at minores non pendere à majoribus sed contra. Non enim binarius à ternario sed ternarius à binario dependet: quod ut in numerorum dependentia non detur progressus infinitus, *Conimb. coll. Eth. disp. 2. q. 3. art. 2.*

XI. Antecedens *Arist.* cit. loc. confirmat ex eo, quod dato bono, dandus etiam sit finis. Bonum enim & finis parili se habent ratione & ἀντισπέφως, ita ut omnis finis bonus sit sive vere sive apparenter & omne bonum finis sive postremus sive ordinatus in ultimum *lib. 1. M. M. c. 2.* Bonum enim; quatenus appetitum terminat, finis rationem habet, *Horneius disput. Philosoph. de natura boni & mali th. 50.* & finis boni, quatenus appetitum ad expetendum movet. Atqui bonum dari vel ex eo constat, quod ab omnibus illud appetatur. Unde & veteres bonum dixerunt id quod omnia appetunt *lib. 1. Eth. c. 1. E.* & finis dabitur *lib. 1. Polit. c. 1.*

XII. Præterea Deus & natura nihil faciunt frustra *Arist.*  
*1. Polit. c. 2.* (sapiientissimum enim quod est nihil temere, nihil fru-  
stra, nihil ex super suo instituit *Scalig. exerc. 61. sect. 1.* natura vero  
sapiientissima *exerc. 17. sect. 5.* E.) sed cuiuslibet rei suus finis certus  
in prima statim creatione adsignatus, fieri igitur nequaquam  
potuit, ut solus homo, ceu nobilissima omnium creatura, suo cer-  
to in hac vita destitueretur sine, ejusq; appetitus, quo bonum  
prosequi aptus est, vanus & inanis esset.

XIII. Jam enodata quaestione an sit? ipsa venit rei natura  
explicanda & quidem (1.) à posteriori. (2.) à priori, ut supra h 3:  
dictum fuit.

XIV. A posteriori dum tractatur, exponendæ sunt notæ  
proprie essentialis, quarum I. est quod sit ἀκρότατον καὶ τελειότατον  
summum & perfectissimum, *Summum* quia δι' αὐτὸ βεβλήμεθα,  
τὸ ἀκρ. δὲ διὰ τὸ το καὶ μὴ πάντῃ δι' ἑπεὶ αἰετὸς *lib. 1. Eth. c. 2.*  
hoc est, propter se ipsum & non aliud est & expetitur, imo tale ut  
propter ipsum sint cætera. *Clariss. Horneius disp. Eth. 2. th. 9. Perfectif-  
simum* quia si aliud perfectius esset, summum non foret. Illud  
enim ultimatum appetimus quod perfectissimum est nostroq; de-  
siderio satisfacere potest *Meiss. de S. B. q. 7. II.* δι' αὐτὸ ἀγαπητὸν  
propter se expetibile *1. Eth. 3.* Si enim non propter se sed propter a-  
liud expeteretur, non esset Summum bonum nec præstantissi-  
mum; sed id propter quod appeteretur. Præstantius enim est il-  
lud, cujus gratia res est *Zabarell. lib. 1. de nat. Log. c. 11. Arist. 1. Metaph.*  
*c. 1.* & summum, sive summitas notat ultra quod progredi non  
datur; III. πικρὸν καὶ κτὶ δὲ ἀνθρώπων, hoc est hominis studio  
& industria comparari potest, *1. Eth. 4.* Si enim homo studio suo  
acquirere non posset, frustra quæreret & pisces in aere aucupari  
venari jaculo apros in medio mari intenderet ut os usurpem *Plaut.*  
*Asin. act. 1. sc. 1.* Sic verò acquirere potest, sed non nisi magnis la-  
boribus & continuatis virtutum actionibus, τὰ καλὰ γὰρ δύσκολα,  
difficilia, quæ pulcra, secundum vetustate tritum proverbium  
Solonis, *Eras. in adag. pag. 146.* IV. οἰκείον proprium *1. Eth. 3.* Si  
enim ab alijs dependeret, beatitudo foret ambulatoria, nunc ho-  
minibus faventibus concederetur, nunc indignantibus adime-  
retur, quod ἀποπεν. V. ἀυτάρκεις se ipso contentum *1. Eth. 5.* com-  
plecti-

placitur enim simul omnia bona, quæ homo potest expetere  
 nec ullo indiget externo bono ad suam intrinsecam perfectio-  
 nem; si enim egeret aliquo, summum & perfectissimum non es-  
 set, ἀντίφρασις enim est perfectionis nota. VI. πολυβίων, vel  
 commune 1. Eth. 9. non enim ad certas personas restrictum est,  
 sed à quovis homine virtutis studioso acquiri potest. Commune  
 autem est tantum ratione δυνάμειος, non ipsius actus, quia non pos-  
 sidetur ab omnibus, quod tamen sit non ex angustia & restrictio-  
 ne boni sed hominum vitio. VII. κοινωτικόν vel sui communi-  
 cativum. Hic advertite communicativum sui posse sub qua-  
 druplici causarum genere intelligi: sub genere causæ finalis, qua-  
 tenus motione metaphorica allicit appetitum; sub genere causæ  
 efficientis, quatenus aliud quidpiam efficit ut lux lucem; sub ge-  
 nere causæ formalis, prout sese alteri tribuit ipsum actuando & per-  
 ficiendo; sub genere causæ materialis prout se alteri dat fovendo  
 sustinendove illud, quæ causalitas est propria materię respectu  
 formæ, & subjecti comparatione accidentium, quæ recipit. Ut  
 igitur aliquod dicatur diffusivum sui sat est aliquo horum modo-  
 rum posse diffundi vid. Conimb. coll. Eth disp. 1. q. 1. art. 2. VIII. θεϊόν,  
 vel divinum 1. Ethic. c. 9. tum ratione causæ efficientis, tum digni-  
 tatis. IX. τίμιον honorabile 1. Eth. c. 12. Tria statuit, Aristoteles  
 bonorum genera lib. 1. M. M. c. 2. ut & l. all. Bona ἐστραυετὰ laudabi-  
 lia quæ merentur laudem ob usum, quem præstant ut sanitas, pul-  
 critudo & c. Bona τίμια honorabilia quæ per se sunt veneranda  
 ut Deus, anima, mens & similia. Bona ἁρετῶν, quæ alias δυνάμεις  
 dicuntur, quibus uti & abuti possumus 1. M. M. c. 2. Recte autem dici-  
 tur bonum τίμιον (1) quia est præstantissimum & verè divinum  
 quid (2) quia est causa & principium omnium bonorum alio-  
 rum Gol. Eth. lib. 1. c. 12. Arist. lib. 1. c. 12. X. μὴ βίαιον non violentum  
 1. Eth. 3. Omne enim violentum naturæ & voluntati est inimi-  
 cum. Εὐδαιμονία vero à voluntate quam maximè appetitur. E.  
 violenta esse nequit. XI. δυσφάιγρον, difficulter mobile. In-  
 constantia enim & fugacitas signum est imperfectionis, sum-  
 mum bonum autem est perfectum. Ergo etiam est difficulter  
 mobile & constans. XII. Non sit dormientis & otiosi. Nam  
 qui

qui dormit, functiones laudabiles exercere requit, cum vitam quasi plantæ vivat, sicut inquit Arist. 1. Eth. Eud. c. 5.

XV. Et hæctenus à posteriori. Nunc à priori tractandum venit S. B. & quidem per definitionem, quæ 1. ἀνασκευαστικῶς 2. κατὰσκευαστικῶς explicatur. Ἀνασκευαστικῶς, quando opiniones veræ sententiæ contrariantes & veritati minus congruas refutamur, quarum adeò multæ ut, referente Auguft. lib. 19. de civit. Dei, c. 1. Varro suo adhuc tempore 288. veterum de S. B. opiniones enumeraverit. Donalds. lib. 1. synop. Eth. c. 2. axio. 6. Excellent. D. Jacob. Martin. synop. Eth. lib. 1. c. 3.

XVI. Omnes autem has exquirere & ventilare nobis propositum non est (non modo enim laboriosum sed supervacaneum quoq; foret omnes velle examinare Arist. 1. Eth. c. 4.) sed, si insigniores tantum & quæ probabili aliqua ratione niti videntur ad censuram revocemus, officio nostro pro virili functos esse arbitramur.

XVII. Quemadmodum vero quatuor præcipua sunt inter homines genera, quorum unumquodq; propriam quasi finem sibi vendicat & propositum habet, nimirum 1. δολιχαικὸν voluptuarium delicatum & molle 2. πολιτικὸν καὶ πρακτικὸν civile & actuosum 3. θεωρητικὸν contemplativum & speculativum 4. χρηματιστικὸν καὶ φιλόκερδες lucro & questui deditum: Ita quoq; quatuor diversæ & maximè præcipuæ sunt hominum de S. B. opiniones, dum alij in voluptate, alij in honore, alij in habitu virtutis, alij deniq; in divitijs beatitudinem humanam positam esse arbitrantur.

XVIII. Primum igitur hominum genus nempe delicatum illud & molle, ideoq; voluptati deditum & hanc unicè affectans à veritate tantum distare, quantum arcticus ab antarctico distat & cælum à terra cuilibet veritatis studioso liquidò constat. Cum autem voluptas duplex sit: animi & corporis (hæc quæ sensus exteriores, potissimum autem gustum & tactum mirificè adficiet & suaviter titillat; illa quæ animi tranquillitas, dum perturbationibus vacamus & ex recte factorum conscientia internam læticiam concipimus) in neutra summum Bonum esse situm sequentibus evidentibus demonstrari potest argumentis.

XIX. Et quamvis *animi voluptas* indissolubili nexu cum summo bono sit copulata, ita ut illud sine hac consistere non possit *lib. 10. Eth. c. 4. & 7.* tamen ipsam S. B. non esse ita probatur. I. Nulla adfectio est illud, cujus est affectio; adfectio enim & res cujus est adfectio realiter differunt, ceu subjectum & adjunctum, nec dicenda esset affectio, sed res ipsa, si nullum admitteret discrimen, At voluptas est affectio Summi Boni E. Minorem probatum nobis reddit *Piccol grad 9. c. 21.* ubi inquit: Cum felicitas dicitur jucunda jucunditas non est ejus essentia ut enim albedo non dicitur alba, ita nec jucunditas denominari potest jucunda; at affectio ejus esse potest ac ita per eam denominari jucundissima

XX. II. Quodcumq; ad aliud refertur, illud non est ultimus finis seu summum Bonum; Eo ipso enim dum ad aliud referri dicitur, præsupponit aliquid superius, ad quod refertur; At voluptas est tale quid E. Minor patet: voluptas enim non ob aliud parata est & ordinata, nisi ut ejus dulcedine invitati ad usum nostrarum facultatum redderemur alacriores & labores, qui ex usu prodeunt, lenirentur, *Piccolom grad. 9. c. 19.* Nobiscum etiam faciunt *Conimbr. disp. Eth. 3. q. 2. art. 4.* his verbis: Voluptates saltem exprimaria intentione auctoris naturæ datæ sunt gratia operationum, ut agentia svavius ac promptius munia sua obeant; quemadmodum salnon propter se sed propter condiendos cibos adhibetur. III. Illud cenferi debet summum Bonum, per quod homo redditur & denominatur bonus. At à voluptate homo non dicitur bonus sed quia honestè & rectè agit *lib. 1. Eth. c. 8.* E. voluptas non est S. B.

XXI. *Neg.* voluptas corporis cenferi debet S. B. Rationes hæ sunt: I. Summum Bonum non est commune cum cæteris animantibus, sed *δικαιον* vel *ιδιον* soli homini. At voluptas non soli homini competit sed etiam bestiis & brutis, quia delectationem sensuum consequitur. Sensus autem utriq; generi sunt communes E. & voluptas corporis E. summum bonum dici nequit. II. Summum bonum est constans & firmum *lib. 1. Eth. c. 5.* Voluptas vero est inconstans & *αφαιρητον* quid; nihil enim citius evanescit quam voluptas. Hinc rectè *Seneca in Thyest. act. 3.*

B

Nulla

Nulla fors longa est, dolor ac voluptas  
Invicem cedunt, brevior voluptas,  
Ima per mutat brevis hora summis.

Expertus hoc est *Eysimachus* qui ob sitis impatientiam se summumque exercitum dedit. Cumque bibisset jam factus captivus, ô *Dij*, inquit, quam brevis voluptatis gratia ex rege me feci servum. *Meisn. de S. B. c. 1. q. 8.* Imo qui cum *Epicuro* quotidie canit:

*Lude, bibas, comedas, post mortem nulla voluptas*

Is spuria sua felicitate mox privabitur & nullum aliud, quam hoc *Sardanapali* (de quo videatur *Justin. lib. 1.*) epitaphium reportabit, quod Græci ita expresserunt:

Ταύτ' ἔχω δὲσ' ἐφαγὼν καὶ ἐφ' ὕβρισα καὶ μετ' ἔρωτ' ὧ  
Τέρον ἔπαθον, τὰ δὲ ποικίλα καὶ ἄλβια κείνα λήληθα.

Et *Cicero* *quæst. Tusc. lib. ult. in fin.* ita exposuit Latinè:

*Hæc habui, quæ edi, quæque exaturata libido  
Hauit, at illa jacent, multa & præclara relicta.*

XXII. III. Summum bonum possessorem suum maxime perficit & ornat, at voluptas mentem destruit, in qua habitat, ut rectè canit *Maximus Poeta Claudianus ad Stilicem*,

*Luxuries prædulce malum, quæ dedita semper  
Corporis arbitrijs, habet at caligine sensu,  
Blanda quidem vultu, sed qua non detrior ulla,  
Interius fucata genas & amicta doloris  
Illecebris.*

XXIII. Secundum vitæ genus est *Politicozum* (quo spectant ij quos *Aristoteles* περὶ πολιτικῆς vocat & χαρτένης i. *Eth. 5.*) quorum duplex opinio; alij enim S. B. dicunt esse honorem, ut oi χαρτένης, qui in repub. gubernanda occupati sunt; alij vero virtutis habitum ut Stoici; sed prior refutatur his argumentis, quorum I. est; S. B. debet esse ἴδιον καὶ οἰκείον proprium ac peculiare isti qui possidet, nec ex alterius potestate aut arbitrio pendere *lib. 1. Eth. c. 5.* Honor autem non est proprium bonum illius, cui exhibetur: δοκεῖ γὰρ ἐν τοῖς πρώτοις μάλιστα ἢ ἐν τῷ πρώτῳ *Arist. cit. loc.* E. non est summum Bonum,

XXIV. Notan-

XXIV. Notandum autem hic quod Honor dupliciter consideretur. 1. αιτιολογικῶς & pro fundamento honoris accipitur, quod est virtus. 2. σηματικῶς καὶ συμβολικῶς & quidem 1. pro interna reverentia cordis, qua aliquem magnificimus. 2. pro externo reverentiae signo, quod Aristot. 1. Rhetor. 5. appellat σημεῖον ἐνεργητικῆς δόξης indicium gloriae beneficæ. Honor αιτιολογικῶς consideratus semper est honorati, quia in hoc est virtus, honoris fundamentum & causa movens seu impellens D. Jacob. Mart. illust. quæst. Phil. cent. 7. q. 9. d. 3. Honor σηματικῶς consideratus internus partim est honorati, quatenus illum virtute sua causatur & vel ab invito extorquet, partim est honorantis, quatenus ipse magnificat ac æstimat virtuosum. Honor externus tantum honorantis est, quippe in ejus arbitrio ponitur declarare affectum vel secus. Intelligatur autem hoc tantum ratione principij, aliàs honor etiam externus honorati est ratione termini & receptionis. Meissn. de S. B. c. 1. q. 10. th. 1. §. 3.

XXV. II. S. B. debet esse βίαιον καὶ ἀσάφαιστον firmum & immobile; At honore quid inconstantius, mobilius & mutabilius? In Mariana clade, ait Seneca epist. 47, quam multos splendidissime natos, senatorium per militiam auspicans gradum fortuna depressit? alium ex illis pastorem, alium custodem casæ fecit, Quis ergo felicitatem in honore quæreret?

XXVI. III. Summum Bonum propter se expeditur, Honor non propter se expeditur, sed propter virtutis opinionem, hinc etiam virtutis præmium dicitur. Ut igitur tales χαεῖστες Domini virtute videantur præditi, quibuscunque possunt modis, honorem ambiunt, auramq; captare popularem student. Philosoph. 1. Eth. c. 5.

XXVII. IV. Signum rei non est res ipsa; (signum n. & signatum sunt relata; relata v. sunt opposita, Opposita autem non possunt cadere in eandem rem simul, Scheibl. Topic. c. 14. num. 32. Est enim oppositum revera aliud à suo opposito. Zabarell. 2. post. ad text. 77.) Atqui honor est signum & symbolum S. B. E.

XXVIII. Ethæctenus opinio Politicorum; Sequitur opinio Stoicorum, qui S. B. in habitu virtutis consistere dicunt, sed eam sufficientissime refutat Aristot. lib. 1. Eth, c. 5.

XXIX. *Dupliciter autem hæc sententia potest accipi secundum Christ. Matth. exerc. Eth. 3. disqv. 4. 1. in sensu disjuncto, 2. in sensu composito. Quando in sensu composito accipitur facile possumus ambabus manibus concedere, nimirum si actio ab habitu virtutis non excludatur & virtus non ἀνεργητικῶς sed ἐνεργητικῶς intelligatur. Si vero in sensu disjuncto quod in sola virtute seclusa actione | Summum Bonum sit positum negamus ob rationes sequentes,*

XXX. I, Quod in dormiente, otioso & calamitoso esse potest, beatitudo non est *Arist. 1. Eth. c. 5.* At habitus virtutis in dormiente esse potest, E. beatitudo non est. II, Virtus non est postremum, quia expetitur propter actionem. Hac enim posita acquiescit tandem animus & summam iucunditatem per sentit, secus fit, si quis habitum absq; actu possidet. III. Summum Bonum est perfectissimum, Virtus non est, E. Minor probatur, quia virtus est forma operationis virtuosa *test. Philos. lib. 1. Eth. 1.* Forma autem in actu primo considerata, hoc est, quatenus est ἀνεργητικῶς & prorsus otiosa, non est omnibus modis perfecta, sed cum in actu secundo est constituta, tum demum perfecta est dicenda completè & ultimè: *Christ. Matth. all. loc.* Unumquodq; enim ut minus dependet, ita excellentioris naturæ est, ut minus dependet actus ab habitu, quam contra; siquidem habitus naturalis non nisi per actum gignitur, cum tamen actus absq; habitu elici possit. *Coll. Combr. disp. 5. Eth. q. 2. art. 1. ad tertium.*

XXXI. Hic nota virtutem duplicem habere perfectionem ἐκτικὴν καὶ ἐνεργητικὴν. Perfectionem ἐκτικὴν, quando consideratur ἀνεργητικῶς ratione ἐτίας vel essentialiter. Perfectionem ἐνεργητικὴν obtinet, quando consideratur ἐνεργητικῶς vel effectivè. Posteriori modo perfectior est quam priori *Christ. Matth.*

XXXII. IV. Destinatum S. B. non est ipsum S. B., Virtus est destinatum S. B. Quia ad beatitudinem est via *Scalig. exerc. 254. E.*

XXXIII. Tertium vitæ genus summum Bonum ponit in divitijs, sed & hoc manifesto errore involutum esse ex hisce patet: I. Summum B. per licita & honesta media acquiri debet; divitiarum autem

autem sæpe numero per vim, rapinas, fraudes & aliorum injurias comparantur. Unde *Juvenal. Satyr. 24.*

----- *Nec plura venena  
Miscuit aut ferro grassatur sapius ullum  
Humane mentis vitium, quam seva cupido  
Indomiti census.*

XXXIV. II. Summum B. est constans & immutabile, sed divitiæ sunt bona fluxa & mutabilia ad vacillantis fortunæ flatum, qui lubricus & incertus est. E. non est S. B. III. S. B. hominem perficit & meliorem reddit, sed divitiæ homines ut plurimum elatiores & insolentiores reddunt, non meliores, quia *πλεῖστοι ἢ ἀδύνατοι ἢ ἀδύνατοι καὶ ἄνομοι* h. e. dives aut iniquus aut iniqui haeres. & *Plat. de Legib. ἐκ εἰσὶν περιπλεῖστοι ἀγαθοί.*

IV. Divitiæ non propter se, sed ut ait, *Cicero i. Offic.* appetuntur tum ad vitæ usus necessarios, tum ad perfruendas voluptates E. XXXV. Quartum vitæ genus Speculativum sc. S. B. in idea seu contemplatione omnium bonorum positum esse dicit & hujus sententiæ autores *Socrates & Plato* creduntur. Juxta hoc genus autem advertite tres quæstiones insignes; 1. quid *Plato per Ideam* intellexerit? 2. an detur istiusmodi idea? 3. si daretur, an in ea S. hominis B. possit consistere?

XXXVI. Ad primam respondeo *Platonem* intellexisse per ideam naturam quandam per se subsistentem, divinam atq; intelligibilem, incorpoream & immaterialem, ante bona omnia existentem ab illisq; separatam, quæ antequam bona essent, in divina mente fuit & ad quam tanquam imaginem & exemplum bona omnia à Deo condita sunt vid. *Eusthat. ad c. 6. lib. 1. Eth.* & dicitur alias *universale ante multa.*

XXXVIII. Vult quidem i. *Ramus*, *Platonem* per ideas intellexisse nihil aliud, quam *universalia Logica*, ideoq; immerito taxari ab *Aristotele*. Verum i. non est probabile discipulum pervertisse mentem præceptoris sui, præsertim cum eo tempore multos habuerit sectatores *Plato*; & *Aristoteles* ipsum tanti fecerit, ut vitæ defuncto erexerit monumentum cum hoc elogio:

*Nulla ferent talem secula futura virum.*

2. Quia Plato ubiq; de suis ideis inculcat, quod sint simulacra rebus priora, existentia in rerum natura tanquam exemplaria, quibus cætera in sensum incurrentia fiant similia. Hæc autem de universalibus Logicis affirmari nequeunt. Ea enim rebus posteriora sunt, non priora, nec existunt in rerum natura, sed tantum formantur in animo, ut certum sit Universale Logicum minus esse quam Ideam Platoniam. vid. *B. Meisn. sup. cit. loc.*

XXXVIII. Afferunt II. *Seneca epist. 66. & August: lib. 7. de civit. Dei c. 28. Marsilius Ficinus lib. 6 de repub.* Platonem per Ideam intelligere *imagines in divina mente formatas.* Sed non inficias imus omnium rerum imagines in Deo contineri, ad quas in creatione respexit, nisi eam temerariam aut improvidam fuisse impiè quis afferere velit. Num autem Plato per ideam intellexerit divinæ mentis imaginem, duæ causæ dubios nos reddunt 1. est, quia Philosophus noster Platonis sententiam aliter recenset. Non autem est verisimile Aristotelem Platoni aliquid affinxisse, cum si fecisset, quantam incururus fuisset reprehensionem apud Platonis discipulos, cuilibet in propatulo est 2. Ipse in *Parmenid.* talia tribuit ideis suis, quæ imaginibus divina mente formatis minime conveniunt. Afferit enim eas in rerum natura existere, causasq; esse omnis cognitionis & generationis, quod si verum esset, non essent imagines, sed substantiæ per se subsistentes.

XXXIX. Explicant III. *Franciscus Philelphus lib. 1. Philos. moral. & Franc. Piccolominus* ideam alio modo & dicunt Platonem per ideam intellexisse *eminentiam,* quæ est DEUS O. M. quem propterea boni ideam passim facit, quia non tantum bona omnia ab ipso proficiuntur *Jacob. 1. v. 17.* sed ipsum etiam tanquam archetypum referunt, imitantur & æmulantur. *Clari: Horneius Eth. lib. 1. c. 7. num. 15. Aslacus in Pphys. Christi. c. 6. q. 1. pag. 35.* memorat, Platonem, etiam teste *Augustin. in Ench. c. 38. & 39.* per ideam divinam intelligere videri *Filiam Dei,* quia *lib. 6. de. Repub.* illam dicat λόγον item νοητὸν νόσμον, ἀρχέτυπον item ἕδν τῆς πνευ. τῆς οὐ. Verum nos respondemus hisce *distinguendo* inter bonum *Theologicum & Politicum* seu civile. DEUM S. B. *Theologicum* esse non inficiamur sed Bonum *Politicum,* ut *th. 5. & 6.* dictum & cum

cum hic agamus de *Bono Politico*; ideo merito refutavit Aristoteles Platonem.

XL. Ad secundum quaestionem respondeo negando, quod sc. non detur talis idea, qualis in thes. 36. mentio facta, pro qua sententia hæc militant rationes ex *Arist. 1. Eth. c. 6.* deductæ: I. In quibus est prius & posterius in ijs non est communis idea; In bonis est prius & posterius E. Majorem ipsi concedunt Platonicis, qui propterea numerorum non posse dari communem ideam, quod in ijs esset prius & posterius, asseverabant. Minor: quia bonum est in substantia & in qualitate & relatione: Substantia autem semper prior est accidentibus; & id quod per se est, prius est eo, quod ad aliud refertur. II. Quæ in diversis sunt prædicamentis eorum non est una communis idea: quia non possunt habere idem genus in definitione; Bona autem sunt in diversis prædicamentis E. Minor declaratur: Est enim in substantia ut DEUS, mens; in Qualitate ut virtus, ars, scientia in Quantitate ut æquale, mediocre. III. quorum communis est idea, eorum etiam una est scientia, sed honorum non est una scientia ut constat. Singulæ enim res in diversis disciplinis & scientijs traduntur: Sic sanitas in medicina, oratio in Grammatica; Sæpe etiam unius ejusdemq; rei diversa est consideratio; Sic mediocritatis, alia est consideratio in virtute, alia in victu, alia in exercitijs, *Donalds. ex Arist. all. loc. c. 2. Synop. Eth.*

XLI. V. Si idea sunt diversum quid ab eo singulari seu individuo, cujus sunt ideæ: tum necesse est ut habeant quoq; diversam ab illis definitionem; Sed ideæ non diversas habent definitiones E. vid. *1. phys. §. 49. 2. de anima §. 60. Capreol. 1. sentent. dis. 35.* Sic hominis idea diversam non habet ab ipso homine definitionem, nec idea boni à bono. *Donalds. lib. 1. Syn. Eth. c. 2.*

XLII. Ad tertiam respondeo etiam per inscientiam his nexus fundamentis: I. quia τῆς ἡθικῆς τὸ τέλος ἔστι ζωὴς ἀλλὰ πρᾶξις Ethicæ finis non est contemplatio, sed actio *1. Eth. c. 4.* at contemplationis est cognitio, non actio, sive, ut alias vocatur, scientia. E. contemplatio moralis philosophiæ S. B. non erit.

XLIII. Hic.

XLIII. Hic II. quæritur ejusmodi bonum quod hominum industria potest acquiri & comparari, Sed idea Platonica actionibus nostris comparari non potest, cum sit bonum sejunctum, ut vix animo comprehendendi, nedum studio acquiri possit. III. Summum Bonum non nisi bonis & honestis viris convenit, hi enim secundum virtutem actiones & consilia sua instituunt. At contemplatio absq; ullo discrimine tam malis & nequitia condidatis, quam bonis convenit. Utriq; enim speculari, causas & proprietates possunt exquirere, quod nihil aliud est quam scire. *Arist. 1. poster. c. 2.* Quibus IV. Consentiant & illa, quod negat Aristoteles adolescentem posse verum esse Ethices auditorem (quod tamen de adolescente non κατὰ τὴν ἡλικίαν sed quoad κατὰ τὸ πάθος vivente intellectum volumus) propter finem qui est actio, cum alias etiam puerum Mathematicum fieri posse adferat. Quæ cum ita sint merito ridemus *Durand quod 1. sentent. d. 36. q. 3 & seqq.* laboriose quidem sed inaniter de ideis scripserit cum illæ (quales Aristot. quidem asserit) in tota rerum natura adhuc nullum invenerint locum: nisi forsankispiam cum Xenophane in luna novas habitationes effingat. *Cic. 1. Academ. quest.* & eò vagasillas aviculas ablegat.

XLIV. Nazianzeni dictum est: δὲ πρὸς τῷ εἰπεῖν ὃ μὴ ἐστὶ καὶ ὃ ἐστὶν εἰπεῖν i. e. postquam dictum, quid res non sit, oportet quoq; dici quid sit. Quia autem hæctenus varias de S. B. sententiarum quisquilias καὶ ἀρσιν enumeravimus, meritò nunc ad ἴσιν progredimur & in quo S. B. morale consistat, exponimus.

XLV. Sic autem definitio hæbet, quam hæctenus ἀνεσκευαστικῶς consideravimus, jam vero κατασκευαστικῶς: εὐδαιμονία ἐστὶν ἐτέργεια τῆς ψυχῆς λογικῆς καὶ ἀρετὴν ἀρίστην καὶ τελειοτάτην ἐν βίῳ πελείω. Beatitudo est operatio animæ rationalis secundum virtutem perfectam & optimam in vita perfecta 1. *Eth. 6. 6. 1. M. M. 4.*

XLVI. Quæ definitio ut recte intelligatur tria sunt attendenda. 1. *Definitum.* 2. *Genus.* 3. *Differentia.*

XLVII. Circa definitum nota *Etymologiam, Synonymiam, Homonymiam.*

**XLVIII.** *Etymologiam quod spectat & Synonymiam dicitur, i. Bonum à boando, Græcis ἀγαθόν vel ἀπό τῆ ἀγωγῆ à ducendo, quia nos ad sui expetitionem ducit & allicit; vel quasi ἀγαθόν ἀπό τῆ ἀγωγῆ θέειν à valde & properè currendo, quod ad id omnes properent, vel ab Hebræo קָבַץ h. e. congregare. Id enim dicitur bonum, ad quod assequendum confluunt omnes 2. εὐδαιμονία ab εὖ & δαίμων, quia prudentia ducens ad summum bonum est unicuiq; bonus Dæmon. Fingebant enim veteres Philosophi, præsertim Platonici, duos spiritus seu Dæmones aut Angelos singulis hominibus à nativitate adesse, eumq; felicem esse, qui à bono Dæmone regeretur, infelicem contra, qui à malo. Donalds; lib. 1. synop. Phil. mor. c. 2. 3. μακαρισμός à læticia, quæ beatitudinis comes, est dicta: nam antiqui μακάριον beatum ἀπό τῆ μάλιτῆ χαίρειν derivarunt, teste Arist. lib. 7. Eth. c. 11 Et hæc nomina, si illorum vis & efficacia in se spectetur, propriè & primariò Deo competunt, qui ipsa est bonitas, felicitas & beatitudo, homini autem non nisi appropriatè & secundariò. 4. εὐτυχία ab εὐτοχίαν. Sed hoc nomen est vel nonnihil alienum & ab instrumentis secundarijs petatum & summi boni adjacentibus, vel omnino spurium, trahens originem ab illis, qui in copia bonorum fortunæ summum bonum collocarunt. 5. εὐπραγία 1. Eth. c. 4. quia ex rectè constitutis actionibus felicitas oritur. 6. εὐζωία 1. Eth. 4. 7. τῶν ἀπάντων περὶ τῶν τέλει lib. 1. Eth. c. 7. 8. τέλει τέλειον 1. M. M. c. 2.*

**XLIX.** Sumitur vox beatitudinis vel Theologicè, pro bono vel hujus vitæ justificatione Psal. 32. 1. Rom. 4. 7. 8. vel alterius seculi, quam expcctamus, vitæ æternæ quæ consistet, 1. in beneficijs privativis, dum omne malum tolletur, 2. in positivis, dum omne bonum conferretur. Meissn. de S. B. c. 1. q. 2. §. 5. vel Philosophicè, & tum in sensu vel lato, quatenus corporis quoq; & fortunæ bonis tribuitur ut 2. Phys. text. 58. δοκεῖ ταῦτόν εἶναι τῆ εὐδαιμονία ἢ εὐτυχία ἢ ἔργον, vel stricto ac propriè pro summo animi bono in hac vita.

L. Genus constituitur duplex: vel proximum ac limitatum vel absolutum & remotum. Genus absolutum seu remotum est operatio. Nam beatitudo est ultima hominis perfectio, quia est ul-

C

timus

imus finis, cuius propriū est perficere. *Arist. 4. Met. c. 16.* Ultima autem perfectio est operatio, quam nos vocamus actum secundum, inquit *Vazquez in comm. ex Thom prin. 2. q. 3. art. 2.* Ulterius: Non dico, inquit, maximam nostram perfectionem, sed ultimam, postquam nihil aliud superest quod ad nostram perfectionem pertineat. Nam ex duobus quibus natura nostra perficitur, nempe ex actu primo, qui est forma seu habitus, & ex actu secundo, qui est operatio, ultimus actus est operatio ultimò perficiens naturam. Cum igitur nostra ultima perfectio sit, erit in actione seu operatione posita, non secus, ac uniuscuiusq; artificis bonitas ex operatione & opere conspicua evadit & perfecta.

L I. Genus limitatum & proximum dicitur operatio animæ rationalis. Cum enim homo duabus constet partibus, anima & corpore, & utriq; suæ sint actiones, ad discernendum actiones corporis, genus beatitudinis ita cum Philosopho restringimus, ut dicamus illud *ἐπέγειναι τῆς ψυχῆς λογικῆς*. Non enim est corporis actio, quia tales actiones brutis, etiam plantis etq; inanimatis communes sunt. Licet autem actiones vulgo toti competere supposito dicantur, & sic nec ad solam animam, nec ad solum corpus sed ad totum hominem pertineant, tamen non tribuitur animæ rationali beatitudo ut hominem ab ea secludat sed ut 1. Principaliore causam denotet, deī ἃ αἰεὶ αἰνον ἐκείνη ἀπρότατον ζῆτεῖν inquit *Arist. in phys. 2.* Ut subjectum proximum declaret. *Donalds lib. 1. Syn. Eth. c. 2.* Anima vero cum sit triplex: vegetans, sentiens & rationalis, non est vegetans, quia homini communis est cum plantis *Eth. c. 7.* inquiritur autem talis operatio, quæ est propria homini; neq; 2. sentientis, æquo enim jure homini & equo convenit *Phil. cit. loc.* Sed 3. anima rationalis, quæ soli homini competit & cui virtutis operatio propriè attribui potest.

L II. Porro cum animæ rationali virtutis operationem tribuimus, probè notandum venit, duplici modo animam rationalem dici posse, uno modo *ὡς λόγον ἔχουσα*, altero modo *ὡς Ἐπιτεθεισὴ λόγῳ*. *Arist. 1. Eth c. 7.* utroq; modo hic sumitur, & competit S. B. animæ rationali intelligenti, tanquam principio cognoscentis respectu originis; adpetenti vero respectu executionis. *vid. Piccolon grad. 9. c. 42.*

LIII. Reliqua definitionis verba spectant ad *conceptum proprium seu differentiam*, quæ duplex assignatur. 1. *Secundum virtutem optimam & perfectissimam*. Virtutis notio mensuram actionis denotat, ut videlicet non quævis operatio felicitatem pariat, sed illa tantum, quæ ex animo virtutis habitu & exercitijs confirmato proficiscitur. *Optima* dicitur, ad denotandam ejus præstantiam internam, quæ in plena omnium causarum harmonia consistit. *Perfectissima* dicitur, propter præstantiam ejus externam, quæ in praxi & vario ac multiplici usu consistit.

LIV. *Perfectio hæc virtutis duplex est: finalis & formalis*. Perfectio *formalis* requirit perfectionem virtutis in se, vel ratione formæ considerata, quæ *perfectio graduum* alias appellatur. *Finalis* requirit continuationem exercitiorum virtutis non interruptam sed continuam. *Christ. Matth. disp. Eth. 1. th. 10.* Utenim quis felix dicatur, oportet totius vitæ decursu aut longo tempore eam actionem, in qua beatitudo consistit, exercere. *Conimbri. Eth. Disp. 3. q. 3. a. 3.*

LV. Circa hæc verba maximè controvertuntur autores; quidam enim putant Arist. intelligere *sapientiam*, quidam *prudenciam*, quidam *justiciam*, sed ad peculiarem virtutem non sunt restringenda. Quia hic non definitur *μερικῶς & partialiter*, sed *ὀλικῶς & totaliter*. Nos intelligimus per *synecdochen* quandam de omnium virtutū *συνέδω καὶ συλλογῇ*, in summo gradu, quantum vires humanæ permittunt, constitutarum, licet enim quoad *essentiam* sint disjunctæ, *usu* tamen sunt conjunctissimæ.

LVI. Præterea & hoc dicimus, quoniam in uno homine non omnes virtutes in eodem excellenti gradu sunt constitutæ, *comparativè* illam debere optimam & perfectissimam denominari, quam & ratione gradus & usus quis habeat eminentiorem & præstantiorem, quod *Philosophus* inauit his verbis; *εἰ δὲ πλείους αἰ εἴσονται κατὰ τὴν ἀρίστην καὶ τελειοτάτην*, si plures sunt virtutes secundum optimam & perfectissimam, sive ea sit prudentia, sive sapientia, imprimis tamen *justicia universalis*, quia dicitur omnes virtutes includere *5. Eth. 3* juxta versum *Theognidis*:

*εἰ δὲ διαιεσσὴν συλλέθην πᾶσι ἀρετῇ ἔσ*

LVII. Dicitur 2. In vita perfecta. Horum verborum elegantem explicationem vid lib. 1. M. M. c. 3. & sic à posteriori & priori.

LVIII. Sequuntur cause, causa vero duplex est; interna & externa, 1. Metaph. c. 1. Interna iterum duplex: materia & forma. Materialem causam quod concernit, statuitur illa à Philosophis triplex; Ex qua, in qua, circa quam. Scheib. Topic. c. 4. n. 3. Materia ex qua S. B. non competit; Est enim solis substantijs propria, non accidentibus. Materia in qua S. B. denegari non potest, alias dicitur subjectum inhesionis, & est duplex: adaequatum, quod est homo & primum quo est anima rationalis. Circa quam est societas humana.

LIX. Formalis causa, est ipsa virtutis actio, vel continuatum omnium virtutum moralium in vita perfecta exercitium, & stat loco generis.

LX. Causa Externa est vel Efficiens, vel Finis. Efficiens est vel universalis, vel particularis. Universalis est Deus, à quo tanquam primo autore, reliqua omnia pendent, cœlum & natura Arist. 12. Metaph. tex. 38. Imò πᾶσι δόσις ἀρχὴ καὶ πᾶν δῶρημα πέλειον Jacob. 1. v. 17, sicut ipse etiam inquit Aristot. 1. Eth. 7. εἰ μὲν ἐν καὶ τὴν εὐδαιμονίαν θεόδοτον εἶναι καὶ μάλιστα τῶν ἀθροιστικῶν ὄσφ βέλυσον. Particularis est vel propinqua, vel remota: propinqua est homo erebis actionibus & laboribus fastigium istud beatitudinis ascendens; Remota est εὐφροία & industria humana. Quo verbo duo comprehenduntur, doctrina & exercitatio. Donalds. lib. 1. Synops Phil. mor. cap. 3.

LXI. Videmus ergo falsum esse, quod quidam fortunam S. B. causam autem, 1. Quia, ut canit Ovidius lib. 4. de Pont. eleg. 3. Hec Dea non stabili, quam sit levis, orbe fatetur.

Quæ Summum dubio sub pede semper habet.

Est inconstans, mutabilis, varia. Talis cum sit fortuna absurdum fuerit, felicitatem, quæ est præstantissimum bonum, firmum constans & διασφαίρετον, effectum eius esse, cum nobilissimus effectus non debeat ascribi causæ omnium ignobilissima. 2. quia si à fortuna veniret, frustra essent præcepta Ethica & omnia consilia Politica. Frustra enim istud svadetur & præcipitur quod

quod in potestate nostra non est, sed à cæco & iniquo fortunæ ductu provenit.

LXII. *Finis* S. B. non datur, quia in omnibus causarum generibus perveniendum ad aliquod primum, ne fiat progressus in infinitum.

LXIII. *Hactenus* Summum Bonum per causas fuit explicatum; jam paucis ἐπισιωδῶς & quidem 1. adjuncta. 2. gradus.

LXIV. *Adjuncta* S. B. sunt bona in duplici differentia: alia *primaria*, quæ essentiam beatitudinis proximè & necessariò consequuntur; alia *secundaria*.

LXV. *Primaria* sunt: *Bona conscientia & voluptas animi.* *Conscientia* est intellectus practicus per habitum principiorum cum quadam voluntatis inclinatione agenda præscribens & de factis in memoria semper observantibus sententiam ferens, vel excusando, si mala sint, vel excusando, si bona. *Voluptas* est perfectæ operationis subsequens signum *Arist. 10. Eth. c. 4.*

LXVI. *Secundaria* sunt (quæ extrinsecus accedentia faciunt ad ejus splendorem & eminentiam) bona tum *corporis*, sc. I. *Sanitas & firma valetudo lib. 10. Eth. 8. II. τὸ κάλλος* pulchritudo *lib. 1. Eth. c. 8. III. Robur lib. 1. Rhet. c. 5. tum fortunæ*, qualia sunt I. ἡ εὐδοξία *d. lib. 1. Rh. c. 5. quam comitantur laus, honor & gloria II. ὁ πλοῦτος ἢ τὰ χεῖματα lib. 10. Eth. c. 8. III. amicitia. lib. 8. c. 9. Eth.*

LXVII. *Amicitia* notentur 1. *definitio* 2. *divisio.* *Definitur* ab *Aristot. lib. 8. Eth. c. 2. §. 6. c. 7. εὐνοία ἐν ἀντιπεποιθῆσι μὴ λαμβάνουσι δι' εὐεχίαν τῶν ἀγαθῶν* h. e. *benevolentia mutua non latens ob aliquod bonum. Genus est ἡ εὐνοία benevolentia*, quod vocabulum in *latiori* sumitur *significatione*, ita ut omnibus amicitia speciebus competere queat *Donalds. lib. 7. c. 8. Eth. Differentie loco ponitur subjectum*, quod constituunt ἡ ἀντιπεποιθότες, illi qui mutuo afficiuntur, inter quos est ἡ ἀντιφιλησις *amor reciprocus*, eos autem oportet esse 1. *paucos*, quia πολλοῖς εἶναι φίλον κατὰ τὴν τελείαν φιλίαν ἐκ ἐνδέχεται *multis esse amicum secundum amicitiam perfectam fieri non potest lib. 8. c. 6. 2. notos atq; probe exploratos* Itaq; ad contrahendam amicitiam προσδεῖται χρόνος καὶ συνηθείας, opus est tempore & consuetudine longa.

3. ΠΑΘ-

*Præsentēs simulq; viventes Licet enim locorum intervalla non solvant amicitiam, impediunt tamen lib. 8. c. 5. His verbis δὲ τῶν ἀγαθῶν innuitur finis.*

LXVIII. *Dividitur amicitia 1. ratione finis in perfectam & imperfectam. Perfecta est hominum proborum, virtuteq; similibus, qui se honestatis causa amore prosequuntur. Imperfecta intercedit etiam inter inhonestos, & dividitur in jucundam & utilem; jucunda, quæ voluptatis ergo colitur & plerumq; inter juvenes intercedere solet; Utilis quæ, propter utilitatem suscepta, plerumq; inter senes locum habet.*

LXIX. *Dividitur 2. ratione subjecti in æqualem, quam colunt amici, quorum alter altero nec imperio, nec dignitate, nec senio est superior lib. 8. Eth. c. 7. & inæqualem, cujusmodi colunt magistratus & subditi; Estq; vel Politica vel, Oeconomica, Politica est vel regia, vel Aristocratica, vel Timocratica. Oeconomica est vel hominum diversarum familiarum & vocatur ξειρῆ, seu hospitalis, vel familie ejusdem, eaq; rursus vel consanguinea, vel fraterna vel conjugalis. De quibus alibi plura,*

LXX. *Gradus felicitatis duo sunt: Unus activus in præclara actione virtutis; alter contemplativus in contemplatione collocatus. Picolo. gradu. 9. c. 32. Notandum vero hic summum bonum dividi in gradus, non quatenus dicitur morale, sed in latiori significatione pro summo universæ vitæ civilis bono, quatenus nō vel ad practicum, vel ad Theoreticum bonum restringitur, sumitur; & hoc sensu definitur ab Aristote. 1. Eth. c. 6. operatio animæ rationalis secundum virtutem optimam & perfectissimam in vitâ perfectâ; Quibus verbis disputationem nostram ob signamus votum adentes, ut Summus ille bonus summi illius boni scaturigo & origo, nobile hoc bonum in omni societate per oppida & pagos propagare velit.*



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.









quod in potestate nostra non est, sed à ca  
ductu provenit.

LXII. *Finis* S. B. non datur, qu  
rum generibus perveniendum ad aliquod  
gressus in infinitum.

LXIII. *Hactenus* Summum Bonu  
plicatum; jam paucis *επισιωδως* & quidem

LXIV. *Adjuncta* S. B. sunt bona i  
alia *primaria*, quæ essentiam beatitudinis p  
consequuntur; alia *secundaria*.

LXV. *Primaria* sunt: *Bona conscientie*  
*Conscientia* est intellectus practicus per ha  
cum quadam voluntatis inclinatione agenc  
factis in memoria semper observantibus s  
acusando, si mala sint, vel excusando, si bo  
fectæ operationis subsequens signum *Arist*

LXVI. *Secundaria* sunt (quæ extrin  
ciunt ad ejus splendorem & eminentiam)  
se, I. Sanitas & firma valetudo *lib. 10. Eth. 8.*  
tudo *lib. 1. Eth. c. 8.* III Robur *lib. 1. Rhet. c. 5.*  
sunt I. *ἡ εὐδοξία d. 1 b. 1. Rh. c. 5.* quam comit  
gloria II. *ὁ πλῆσιος ἢ τὰ χεῖματα lib. 10. Eth. c.*  
*9. Eth.*

LXVII. *Amicitia* notentur r. defini  
tur ab *Aristot. lib. 8. Eth. c. 2. S. 6. 6. 7.* e  
*μη λαμβάνουσα δι' εὐχὴ τῶν ἀγαθῶν* h. e. bene  
latens ob aliquod bonum. Genus est *ἡ εὐνοία*  
vocabulary in *latiori* sumitur *significatione*, it  
tix speciebus competere queat *Donalds. lib. 7*  
loco ponitur *subjectum*, quod constituunt  
qui mutuo afficiuntur, inter quos est *ἡ ἀν*  
procus, eos autem oportet esse I. *paucos*, e  
*κατὰ τὴν τελείαν φιλίαν ἐκ ἐνδέχεται* multi  
dum *amicitiam* perfectam fieri non potest *lib*  
probè exploratos Itaq; ad contrahendam a  
*χρῆσις καὶ συνήθειας*, opus est tempore & c

Fortunæ

causa-  
at pro-

uit ex-  
gradus.

rentia:  
effario

animi.

iorum

& de

ens, vel

ft per-

tia fa-

orporis

pulcri-

qualia

onor &

a. lib. 8.

Defini-

*επινοία*

ia non

quod

amici-

erentia

tes, illi

or reci-

*φίλον*

secun-

tos atq;

*σοδεύται*

longa.

3, P. 46-

